

rum parerent imperio, secundi haberentur. Benigne legati
accepti, ingenteque eis gratiæ actæ: spes ad hæc facta, si
ii forent, quos se futuros prædicarent, daturos Patres ope-
ram, ut brevi eorum civitas intelligeret, nihil beatius con-
tingere posse iis, qui suis viribus stare non possint, quam
sub legitimo quiescere imperio: ac tam dulce futurum, ty-
rannidis jugo excusso, ad domicilium & arcem libertatis
confugisse, quam si quis tempestuosum mare pene naufragus
egressus, in tutissimum se portum recepisset. Irent igitur, &
Veneta signa (quæ cum his simul Dux legatorum principi
tradidit) secum ferrent, mediaque urbe, quod Veneto no-
mini & illis bene verteret, statuerent, statutaque perpe-
tuo studio colerent: cæterum assuescerent juri & æquitati,
qui tyrannorum libidinibus tam iniquo animo quandoque
paruissent. Cum his Veronenses missi. Quorum exemplum
Patavini fecuti, non multo post & ipsi affuerunt. Nihil
ferme a priore legatione variatum, nisi quod Patavini pro
albis vestibus purpuram habuerunt.